Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 521

Quelle:
Copyright:

ſtructionis conferat. Explicit Liber Tercius De Officiis.

II. *fol.* 32. praevio hoc Titulo: *Libri Sancti Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi Qui De Patriarchis Inſcribuntur. Hi Sunt. De Abraham Liber I. De Yſaac Et Anima Liber I. De Bono Mortis Liber I. De Eſav Et Fuga Seculi I. De Jacob Et Vita Beata II. De Joſeph I. De Benediccionibus Patriarcharum I. De Apologia Dauid I. De Nabuthe Et Achab I. De Teſtimonio in Salomone I.* Et minio: *Incipiunt libri Sancti Ambroſii de patriarchis numero XI. Primus de abraham.* Non eo certe ordine, neque numero, quo edit. *cit.* T. I. Liber II. *de Abraham* deeſt. A Libro *de Bono Mortis* et verbis: *qui uoluptate corporis et delectatione uitę* — exciderunt nobis membranae usque ad Librum *de Benedictionibus Patriarcharum* et verba: *ut feruorem ſpiritus ſancti habeat congregatio nationum* &c. *Apologia David* altera deeſt. A Libro *de Nabuthe* abeſt illa clauſula: *Sed oportet nos taliter agere* &c. Opuſculum *ult.* ſive XI. nobis inſcribitur: *Incipit de teſtimonio in ſalomone.* Illud *Mauriani* poſt *Eraſmum Ambroſio* demtum exhibent inter *Sermones* in *Append.* T. II. *col.* 450. *n.* XLVI.

III. *fol.* 65. *In nomine domini noſtri ihesu christi incipit liber beati ambroſii epiſcopi mediolanenſis de miſteriis. De moralibus cotidianum ſermonem habuimus* &c. ut edit. *cit. T. II. col.* 325. Nobis ad calcem Miniator addidit: *Finit de iniciandis feliciter.*

IV. *fol.* 67. *Incipit De Sacramentis Liber Primus. De Sacramentis Quę accipitis* (ed. accepiſtis) *ſermonem adorior* &c. ut T. mox *cit. col.* 349. cum reliquis V. Libris, quos tamen a medio *Tertii* alia manus complevit.

Textus noſter probe cum Editis congruit. Mallem tamen L. I. *de Offic.* c. 2. cum eo legere: *cum plures uideas loquendo peccatum incidiſſe* &c. quam cum Edit. *Quamplures vidi* &c. Id nexus cum praecedentibus ſuadet.

CCLXXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 115. 4. pereleganter exaratus et olim, ut praenotatur, *Monaſterii in Menbſe* ſive *Lunaelacu* O. S. B. orditur a pictura lineari τȣ Σωτηρος inter IV. Evangeliſtarum Symbola confidentis, folioque verſo litera miniata quadra *In Nomine Sanctae Trinitatis Incipit Tractatus Sancti Ambroſii Epiſcopi Et Confeſſoris De Officiis.* Textus cum Edit. *Maur.* T. II. *col.* 1. bene conſonat; paene tamen cum Codice malo legere: *quę illi ſpiritus infudit ſapientię, et per illum nobis manifeſtata et uiſu comperta ſunt, exemplo uobis quaſi liberis tradimus,* quam, quod habent Edita L. I. c. 1. *n.* 2. *quæ illi ſpiritus infudit ſapientiæ, ea per illum nobis manifeſtata et viſu comperta atque exemplo vobis quaſi liberis tradimus.* R. 3318